



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instrvctio Novitiorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniæ, Anno M.D.C.XIII

De fide Cap. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48624)

scriptionem: sed sub auctoris virtutibus
Iesu Christi, ac Beatissimæ Virginis Ma-
riæ tutelâ, earum virtutum, quas delega-
mus, doctrinam aggrediamur.

De Fide Cap. II.

Fidem primo loco ponendam, ex ip-
sa patet definitione, quam tradit A-
postolus aiens: Fides est sperandarum
substantia rerum, argumētum non ap-
parentium: quasi diceret, fidem ef-
se basim ædificij illius, quod extruitur
in cœlis, & cui⁹ possessio speratur exter-
ris. hâc enim vim habent illa verba, spe-
randarum substantia rerū: & quia, quæ
non videtur, non adeò animos vrgeret,
nedū cōvincere solēt, subdit, esse argu-
mētū, hoc est persuasionē non appare-
tium: quo subnotat diuinā auctoritatē
quæ firmiter non visa persuadet, quam
quæ naturali lumine apertè cernuntur.

2 Statui autē Obedientiæ, quàm sit ne-
cessaria, non illa tantum fidei mensura
quam cæteri Christiani adepti sunt, sed
maior alia, multoq; procerior, ex illo
sâctorū Patrum asserto perspicitur. O-
bedientia est opus fidei.

3 Obscu-

3 Obscuritas enim fidei cæcitati vltro suscepta, quæ Obedientiæ statum perficit, dum nõ ratione, sed auctoritate divina duci optat, mirificè consertit: vt nefas sit, virtutes duas ingenio vno à Deo coniunctas separare: proptereaquæ Apostolus in eodem capite, vbi fidei definitionem tradit; opus illud heroicum Abrahæ filium immolare parantis, fidei tribuit; cū sit eximix actus Obedientiæ: idè quippè pollere putavit Apostol. ac si opus illud Obedientiæ tribuisset.

4 Cum ergò fratres nostri ad Obedientiæ statū aspirent: ipso vinculo, quo necti cupiunt, astringuntur ad virtutē hanc diligendā, & eius peritiam cõparadam: quod rei nobilitate allecti præstabunt.

5 Constat enim fidem Theologica nobilitate præditam esse: hoc est, vltra omnem reliquarum virtutum non Theologicarum celsitudinem, vnà cum Spe, & Charitate Deum (vt Scholastici loquuntur) pro obiecto habere: & sicut Spei, & Charitatis est, volūtate ad naturā Diuinā afficere, ita fidei esse, intellectum diuinis assertionibus erudire.

9 Quanta verò sit eius eruditionis altitudo,

tudo, vel ex eo patet, quod nō solū vni-
 uerse Philosophorū scholæ inani sapiē-
 tiæ nomine celebratæ, sed nè ipsæ qui-
 dem Angelicæ mentes naturali tantum
 perspiciacitate spectatæ, vnā saltem ve-
 ritatem reuelatam consequi valeant.

7 Et tamē viri clarissimi per tot ætates
 naturalē sciendi sitim explorare cupientes
 eas rerum cognitiones multis nebulis
 obductas; quas natura lapsa parare po-
 tuit, adeo magnifecerunt, vt alij abiectioni-
 bus diuitijs, alij peregrinationibus ad illu-
 stria gymnasia susceptis, alij sibi quoque
 oculos eruētes, laboribus immēsis mo-
 dicam Philosophiæ notitiam compara-
 re honestum existimauerint.

8 Quid ergò p̄ illustrissima Fidei cog-
 nitione, comparanda, vel augenda, fieri
 debeat, hoc potissimum tempore, quo
 fratres nostri, ad eam propagandam, con-
 uinitus electi videntur? Aut quo supplicio
 dignus non sit, qui mysteria fidei
 perno scere, ac sapientiæ tantæ lucra
 ua, in dies singulos, conquirere negligit.
 Certè hâc patet accessus ad Deum, quo
 utilitatē salutis immēsā parit, quippè
 pretiosissima, est index ei⁹ vię, que re-
 in ch

in thesauros tendit æternos: fides autem
index est: quo qui ducuntur, à regione il-
la viuorum, quæ auriferacissima est, mi-
nimè aberrant.

9 Quàm verò voluptatem affert? Pro-
fecto qui compendio tantam fitim sciē-
di, vltra omnem humanæ sapientiæ me-
tam, fide sedari, cogitauerit, summope-
re delectabitur: & recti⁹ quæ Hæbrei po-
terit gloriari per verba hæc; Non fecit
taliter òni nationi, & iudicia sua nō ma-
nifestauit eis. Res quippè mira est, & ad
emollienda corda efficacissima: rusticis
quòq; mulierculis, quæ vix animi sensa
indicare nōrunt, incerta & occulta di-
uinae sapientiæ per fidem patuisse.

10 Sanè bonus ille fidei æstimator Au-
gustinus, cum ei Catholica fides illuxit,
& prioris cæcitatibus tenebras discussit. nō
satiabatur (vt ipse ait) dulcedine mira-
bili considerans altitudinem Diuini cō-
filiij super salutem generis humani.

11 Et quidem ineffabilis lætitiæ origo
est, illa virtutis huius certitudo, quæ fi-
ne vilius erroris suspicione, quis fit ille
nostre fœlicitatis auctor, quàm excelsus,
quàm potens, quàm nobis propiti⁹, quàm suavis

D 3

osten-

ostendit. Ediscant alij huius sæculi prudentiam, & inutilem rerum variarum eruditionem acquirant, ut albo sapientia inscribatur, & usque ad miraculum celebratur: nos autem inter mites Christi discipulos Præceptori magno colla subdamus, & ad lucernam, quæ lucet in caliginoso loco æternitatis itinera sectemur.

12 Hæc est sapientia illa, quæ domum orbem, & ingenia subtilissima suspendit, ac Iesu Christo Crucifixo præclarissimos ex omni natione viros addixit. Huius vel sola confessione (nam cætera necesse compertum erat) simplex ille, atque directus vir philosophum disertissimum qui in Concilio Nicæno fidei detrahebatur, stupente illo gravissimo Senatu subiugavit: ubi, quod multæ argumentorum subtilitates efficere nequiverant, solius fidei firmitudo perfecit.

13 Hæc ergo fratres nostri magnificare ac eius mysteria, quæ Christiana doctrina continentur, ita perdiscere curent, ut eis armis (esto alias inermes essent) pugnant, ac vincere possint. Sed actuum dei exempla proferamus.

Exemplum.

Actu

14 **A**ctus fidei, quorū incuria, in repē-
tinis cōgressibus, multos læsit, sic
exerceri debēt. Auctor fidei Iesu Chri-
ste, firmissimè credo, vera esse ōnia, quę
te reuelāte credit sancta Mater Ecclesia,
& pro assertione hac libenter moriar.

Impossibile est, veracissime Dñe, ali-
quid falsum Ecclesię tuę à te reuelari:
quod mortè testabor.

Omninò verū est, tres esse sãctissimę
Trinitatis in vna diuinitate personas : p
qua veritate occumbere desidero.

Verū est profectò, Clemētissime Do-
mine Iesu Christe, te Deū, & hominē, sed
vnā tātū personā esse: atque vtinam pro
hoc asserto dirissimè comburam.

Certè verū est, te Clementissime Do-
mine Iesu Christe, Deū, & hominē per-
fectum in Sacramēto altaris existere : q
ego p medios gladios, & ignes, pñtebor

Notādū quicquid boni cogitatur, di-
citur, aut efficitur, ad quācunq; virtutē
spectet, si fiat eo animo, vt fides firme-
tur, & augeat, præsertim si quis, delibe-
ret, illum actū exercere, quasi professio-
nem fidei, esse huius virtutis actum:
quod de reliquis virtutib' pariter asse-

rimus : contrahunt enim honestatem
virtutis, ad quã diriguntur, quod in cap
20. luculentius ostendemus.

15 Huiusmodi ergò frequenter exer
cendi sunt: & vt fides his conatibus val
dior fiat, erit ad rem, martyrij occasio
nes mente versare, & quasi coram Ty
rannis, ad actus illos fortius producen
dos, cor impellere, dandaq; opera est, vt
multa cum deliberatione, ac animi fir
mitate fidei veritates proferantur:

16 Verum in tertia huius capituli parte
& ad virtutem ipsam perficiendã, & ad
vitia contraria, seu tẽtamenta depellen
da: capita rationũ, quæ sancti Patres do
cuerunt, attingere, operæ pretium erit.

17 Animo quippè certã fide subnixo, r
tiones veritatum diuinarũ, nõ vt credã
sed vt res altius cõcipiat, pensitare, ad
dei robor satis prodesse solet: quapro
pter fratres nostri, vt ad omnem eu
parati sint, subiecta percipere conẽtu

18 Nulla vnquam veritas apud homi
nes fide digna visa est, quæ tot ambig
tur circũstantijs fidẽ facientibus, ac v
ritas Iesu Christi D. N. quod sic euinc
tur, à locis cõmunib⁹ breuiter indicat

19 Fides astrui potest, vel ab assertore ipso alicuius veritatis, vel alijs, siue amicis, siue inimicis. Assertor ipse si sapiens, si nobilis, si bonis moribus conspicuus sit, communi hominum sensu non sine imprudentia respui potest: at Iesū Christum D. N (etiam si humano more dicamus, & auctorum eius temporis, quo inter mortales egit, scripta consulamus) sapiens fuit, quod in templo duodenis & publicè postea demonstravit, cū vulgo diceretur? Quomodo hic litteras scit, cū non didicerit: & nunquā sic locutus est homo, cum alijs publicis acclamationibus. Ingenuus fuit: nō enim ignorari potuit genus, quo ad matrimonium Virginis, & Ioseph necessariò explorandum: & Paulus ait: Manifestū est, quod ex Iuda (quæ Regia tribus erat) ortus sit D. N. Iesus Christus; inculpatus fuit, nullius enim peccati reus esse, vel conuinci ab inuidētissimis obtrectatoribus potuit: ac proinde peccata teterrima nō perpetravit, qualia cōmisisset, si ea quæ docuit, non vera fuissent. Pertinebant enim ad Religionem, sine qua cultus Dei, vel salus hominum cōstare

nequibant.

20 Cum ergò ipse sapiēs, nobilis, incul-
patus disertissimè Trinitatis mysteriū
se Dei filium, Eucharistiæ sacramentū
& alia fidei capita prædicarit, & ob
mortem subierit, aut cōtra vim rationis
allatę fuit blasphemus, & dānatus, quod
est incredibile: aut est Dei filius, & cetera
quę docuit, ita se habēt, quę verissimum est.
21 Ad ipsius etiā assertoris personā spe-
ctant, opera, quę ad suā doctrinā asserē-
dam præstat: si enim præter sapientiam,
nobilitatem, probitatē, edit miracula,
quę sunt propria Dei testimonia; nemo
nisi planè demēs. exceptionē aliquā ob-
ijcere potest: at Christus plurima mira-
cula edidit (ipsis inimicis sponte fatētibus).
Quid facimus, quia hic homo multa si-
gna facit? Si dimittim⁹ eū sic, omnes cre-
dent in eum.

Veritatē ergò prædicavit. Certè, v-
cætera sileam⁹, famosissima Lazari sus-
citatio toti⁹ Ierusalē, & vicinorū oppi-
dorum animos exciuit.

22 Si verò fides astruitur ab amicis: nulli
quam incorruptiores amici, quę Euange-
listæ quatuor, quorū scripta vulgatissi-
mam

nam continēt historiam, q̄ à nullius cō-
 ditionis hominib⁹ potuit ignorari. Hos
 autem quatuor Historicos fide dignos
 esse, cū inculpatissimè vixerint, magnā
 orbis partē conuerterint & nullius mē-
 dacijs, per tot sæcula, à tot fidei hostibus
 conuinci potuerint, ac deniq; cū ipso-
 rum reliquiæ ad hæc vsq; tempora, tot sãcti-
 tatis signa prætulerint, nemo nisi apertè
 stultus inficiari poterit. At Scriptores hi,
 vt oculati testes Christi mysteria me-
 moriæ prodiderunt: vera ergò sunt.

23 Inter amicos præterea, vt proprios
 testes, Martyres innumeros, qui nobili-
 tatem, diuitias, voluptates abiurârūt, vt
 p̄ Christo morrē oppeterēt, iure possu-
 mus recensere. At quî fieri potuit, vt bo-
 na illa mûdo, & carni suauissima, puellæ
 quoq; tenerrimæ, ac ad Regū cōnubia
 expetitæ (q̄ notissimis patet historijs) tã
 fortiter aspernarētur, & acerbissima ne-
 ce permutarēt, nisi Diuina veritas esset,
 quam Iesus Christus earum sponsus e-
 uulgauit?

24 Amici quoq; fuêre clarissimi Cōfes-
 sores, ac Monachi, qui abdicatis aulæ

delitijs antra spinis obsita, saccis asper
rimis accincti subierūt: quos (vt ipsorum
elogijs constat) sola Iesu Christi veritas,
ab antea actæ vitæ licentia cōpediunt.

25 Quid de corporum incorruptione
ac odore? quid de miraculis huius tem
pestatis? vt antiquiora Apostolorum,
aliorum Patrum signa taceamus?

26 Prolixū foret amicorum castra per
cēdere: res ipsa clamat: & aut nullius ra
tionis compotes homines sunt: aut re
bus etiam humano more perpensis, so
la Iesu Christi fides vera est.

27 Quid iam de inimicis adiungendū
Profectō inter inimicos, & Pilatus qui
Christum morti addixit, vt vxor eius
numerari queunt: at Pilatus corā tota
Hierusalem confessus est, se nullam
Christo culpam inuenire. Vxor eius, si
illū admonuit: Nihil tibi, & iusto illi

28 Pontifices, & Pharisei crudelissimi
hostes cogitauerūt, vt non solum Chri
stum, sed & Lazarū interficerēt, qui mi
raculo suscitatus Christi famā protēd
bat. Et sæpè insperatis Christi prodigi
calūnias obijcere tentantes, vt in cœ
nato, & aliàs ab ipso Christo incitati, p

illa verba: Quis ex vobis arguet me de peccato? Nunquam culpæ ullius victoriam obtinuerunt. Denique ipsi, qui nauabant operam neci eius, videntes portenta mundi qui auctorem suum interire ægrè ferebāt: ipsum iustum, ac Dei filium acclāmarunt: quæ omnia ex ipsis Euangelijs facile constant.

29 Quid de ipsius natali, Regum Orientalium adoratione, pastu tot millium hominum in deserto? quid de Resurrectione, terræ motu, Custodum metu, Pontificū pecunia militibus data? quid de Ascensione, ac Spiritus sancti missione, & alijs sub illud tempus tam publicè gestis, vt oporteat eum qui res testatissimas negat, palam insanire?

30 Quid de apparitionibus coram ijs hominibus tam veracibus, tam probis, tamquæ toti terrarum orbi conspicuis, scilicet Apostolis, de quorum animis nulla vnquam apud cordatos suspicio suboriri potuit?

31 Quid de tot sæculorum serie, quæ Petro succedentibus Christi Vicarijs hucusquæ inuicta perseuerat, nec vllis totius orbis aduersatis bellis occubuit?

Quid etiam de tot Imperijs, ipsaq; Romano, cui omnia cesserunt, inopst hominum non potentia, aut opulentia, vel eloquetia, sed fide Christi subiugatis?

32 Quid de tot nationum viris insigni sanctitate, ac sapientia clarissimis, qui & scriptis, mirificè cōsentientibus, & cultu fidelissimo in vnam eam fidē Christi gratia conspirantibus? qui cum se de facie minimè nossent, vnam fidei faciem ore, ac scripto semper exhibuerunt?

33 Et sanè tametsi desiderarētur rationes omnes, quas induximus, quæ fidei veritatē persuadēt: vna certè ratio, quæ à viris Christianis ignorari non debet, & sectæ cuiuslibet Infidelibus necessario vim affert, nō est reticēda: quæ sic habet.

34 Aut nullus in terrarū orbe cultus veri numinis est: aut secus primū à nemine, nisi Atheo asseri potest: quā enim fronte dici queat, nullā à rerū conditore religionē hominibus, qui ei cultū lege naturæ afferre debent, inspiratā fuisse? Si autem secus: omninò dicendum est, eā solam à vero Numine legem inspirari debuisse. quæ sapientiam, & bonitatem infinitam, qualem de suo Numine secta

quæ-

quæquæ concepit, apertè deceat: quapropter veram sanctitatem à cultoribus suis, & vniuersarum virtutum humanæ naturæ congruentium exposcat necesse est: non enim diuino candori cultores immundi placere possunt: at mundi esse nequeunt, si virtutibus omnibus omnia vitia non deleat. vna quippe virtus si absit, homo labe non caret.

35 Cum ergò sola fides, lexuè Iesu Christi D.N. veram, omniumquæ virtutum perfectione constantem vitæ sanctitatem à nobis requirat, nec vllam velleuissimam cogitationem rationi aduersantem admittat: quin potius, eam licet hominibus celari possit, præscriptis Ecclesiæ remedijs expiari velit, efficitur perfectò, solam Christi veritatem esse diuinam, cæteras verò Infidelium doctrinas omnes, quæ huic apertè dissentunt, esse Sathanicas: quod ex earum cum veritate Christi cõparatione, ex ritibus vanissimis cultorum suorum, ex vitæ turpitudine, quâ velut re licitam, cõplectuntur, & multis alijs capitibus, quæ instructione breui tradi nequeunt, facile perspicitur: præterquàm quod vel ex hoc solo capite, quod

quod à Christi lege, quàm perpetua fidei confessio per tot sæcula tenuit, sectæ vel diuersæ leges sint, reuincuntur: enim sola Christi lex, vt probauimus, vera est, reliquæ omnes ab ea diuersæ, falsæ sunt.

36 Tot igitur rationum agminibus, eos qui de fide Iesu Christi, non modò tenacissimè amplectenda, vel imis radicibus defigenda, sed in alios quoq; deriuanda cogitaturi sunt, esse oportet instructos: & vt ipsi primum sibi consulant, ad virtutis tantæ cultum, sic affici debent, vt initio status obedientiæ, Superioribus suis intellectum argumentorum non apperentium cedentem, & non humanis rationibus, sed auctoritati diuinæ parentem exhibeant; & ea disciplina tot in fide progressus facere pergant, vt pro ea tuenda, si felix fors detur, occumbant.

De Spe. Cap. III.

1 **S**pes Theologica est virtus, qua voluntas (in qua reponitur) auxilio freta ad Deum acquirendum assurgit.

2 Ad